



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum
præsentem XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

Luther, Martin

Basileae, 1520

VD16 L 3411

Pavlvs Commodvs Bretannvs, Lectori S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34878

PAVLVS COMMODVS BRE/
TANNVS, LECTORI S.

SVscipe candide lector, in Epistolā S. PAVLI ad Galatas, fratris Martini Augustiniani, quicquid est commentarij, instituti potius, q̄ perfecti: cum propter amicorū quorundam, plus æquo efflagitantū preces, tum propter importunam & iniquam ociosorum hominum maliciam, cotidie eius Autorem, citra ullam causam uexantiū, ac nugis subinde, nescio quibus, a serijs grauibuscq; studijs alio rapientium, per quos stetit, ut nec commentarium satis ipse cognosceret, nec pro dignitate elaboraret. In quo tamen, si quid fuerit, quod ad Christianam pietatem facit promouendā, soli deo uniuersae bonitatis auctori, gratias age, atq; ad tuam spectante commoditatem, pro uoluntate utere: sin quippiam offenderit, candide, pro Christiana professione submōne, qua re, Martino, neq; quicq; fuerit gratius, neq; te, ipsius fratre ac Christiano dignius, prēmium a Christo centuplum recepturus. Quid enim iniquius, q̄ pro beneficio, maleficium reponere: contra, quid æquius, q̄ studio bene merendi cum eo certare, cui unicus scopus est, quorumcunq; uel gratia, uel inuidia contēpta, de te, totoq; Christiano nomine, optime mereris: Porro, id unum Martinus semper spectauit, ut delirijs quorundam reiectis, sacras literas pure tractares, atq; ad id, post Erasmiū unus omnium maxime contentidit. Iam, si forte alicubi, ut homo est, a recto itinere deflexit, tuæ est humanitatis, deerrantem ad rectam uiam reuocare. Quod si pro tuo Christianismo, & cōmuni omnium utilitate, & in deum amore feceris, Lutherum tuum, ad hos cōmentarios accuratius retractandos, & in reliquas quoq; d. Pauli epistolas diligentius scribendum, non mediocriter animabis. Atqui id te in primis uelim spectare, orationem ueritatis, tanto esse meliorem, quanto simpliciorē. Tu in nomine Iesu Christi uale, ac uita potius Christum, a quo nomen habes quam uerbis exprime. Data in Academia Vuittenbergenſi, ubi prouidentissimi omnium studiosorū Mœcenatis Friderici Principis & Electoris &c. munificentia, recta studia, in tribus linguis, Latina, Græca, & Hebraica, gratis docentur. Iterumq; uale. Anno a natali

Christiano, supra sesqui/
millesimum

xix.

Gratis audi/
untur linguae